



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Dispvt. CCXVIII. An natura corporea & materialis Angelo obediat ad
quamcumque formam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

dentur, ut simul cognoscatur connexio, quam res illæ cum Deo habent, vel quia videntur ab homine qui simul videt Deum: visionem enim rerum in intellectu beati videntias Deum vocant nonnulli visionem rerum in verbo, quo pacto loquitur *Caietan. in comment. huius artic. & auctores statim allegandi*. Sic igitur posse contingere illuminationem circa res, quæ in verbo hoc modo videri dicuntur, docent *Scotus dist. 9. q. 2. §. Ad aliam quæst. Bassolis qu. 1. §. Idem dicit, Aggidius qu. 1. art. 5. & Aureol. ut refert Capreolus quæst. citata art. 2. sub finem*: addunt tamen hanc illuminationem esse per simplicem veritatis propositionem. Ergo tamen existimo, posse etiam Angelos videntes Deum illuminari à superioribus non sola veritatis propositione, verum etiam, peculiari illo modo explanationis, de quo superiori cap. loquuti sumus, ceterum eas res, circa quas Angeli inferiores à superioribus illuminantur, preise & proprie non dici in verbo videri, quia rem aliquam in verbo videri, nihil aliud est, quam aut ex vi visionis diuinæ essentia, aut Deo reuelante cognosci, ut sup. disp. 50. cap. 7. ostensum est.

Secundo ex eadem doctrina colligitur, falsam esse sententiam Scoti & Bassolis in eo, quod statim docent de illuminatione Angelorum circa res, quas dicuntur in verbo videri: inquit enim, tribus modis Angelum illuminari. Primo quatenus Angelus rem illam audit ab alio Angelo loquente, illuminatio enim est locutio quædam, quare illuminari erit audire: hæc autem cognitio in eorum sententia ex vi folius auditionis tantum est credulitas quædam, superioris tamen rationis, quam humana credulitas: quia Angelus illuminatus videt superiorem Angelum, qui illuminat, mentiri non posse quia beatus est. Secundo quatenus ex hac auditione Angelus illuminatus conuertitur ad videndum rem illam in intellectu Angeli illuminantis: ex quo fit, ut desideret illam in Deo inquiri, & ita fit, tertia cognitio, quæ res illa dicitur in verbo videri. Hæc igitur doctrina in vniuersum mihi non probatur: commentitium enim mihi videtur, tot modos cognitionis commingisci: cum ex vi illuminationis & locutionis solum possit in Angelo illuminato generari assensus quidam credulitatis: neque aliud puto esse, cognoscere rem in mente Angeli illuminantis, quam ipsam audire. Porro licet hæc duæ cogitationes diuersæ essent, non videretur in doctrina Scoti ponenda alia cognitio rerum in verbo quia, ut supra retulimus, visionem in verbo ille appellat cogitationem rerum existentem in intellectu videte Deum, talis autem esset auditio. Denique quomodo cumque Scotus dicat, auditionem contingere: etiam si Angelus inferior postea rem illam intelligat & cognoscat in mente superioris Angeli loquentis, nihilominus illa cognitio in mente alterius non potest excedere limites credulitatis. Quare neque ex illa secunda cognitione alia deinde superior, quam ipse vocauit visionem in verbo, oriri potest.

Tertio denique nota, inter demones secundum suam naturam consideratos virtutem esse, ut superior inferiorem illuminare possit explicando illi & diuidendo conceptum & intelligentiam quam habet, sicut optime docet *S. Doctor infra quæst. 109. artic. 3.* Ratio vero est manifestata: quia demones superiores habent eam naturalem

ingenij perspicacitatem, qua id præstare possint. Ceterum quia omnis illuminatio ordinatur ad Deum, hoc est fit de mysteriis à Deo reuelatis: & hæc non reuelat Deus demonibus: ideo negat S. Thomas vnum demonem illuminari ab alio.

Hactenus diximus, quo pacto per illuminationem vnus Angelus possit intellectum alterius aliquid diceremus: quia tamen, omnes absque controuersia fatentur, voluntatem à solo Deo moueri posse: ab Angelo vero, vel dæmone sola imaginationis immutatione, ideo de hac re amplius disserendum non est. Quo autem modo imaginatio, vel creatura corporalis ab Angelis virtute natua moueri possit, sequenti disputat. patebit.

DISPUT. CCXVIII.

An natura corporea & materialis Angelo obediatur ad quamcunque formam?

Materiam non obedire Angelo ad formam substantialem communis est omnium opinio. cap. 1.

Præcedens sententia ratione confirmatur. cap. 2.

Quam formam accidentalem Angelus possit in materia producere. cap. 3.

Quid possit Angelus aut demon in nostram imaginationem. cap. 4.

CAPVT I.

Materiam non obedire Angelo ad formam substantialem communis est omnium opinio.

Tria sunt nobis in hac controuersia examinanda. Primum est circa formam substantialem. Secundum circa accidentariam, in quacunque natura. Tertium est circa imaginationem hominis, & animantium, circa primum vero consors est Scholasticorum sententia asserentium; materiam non obedire Angelo ad formam substantialem, hoc est, non posse ab Angelo infundi aut produci formam substantialem in aliqua materia. Ita expresse docent S. Thom. infra q. 110. art. 2. Bonavent. in 2. dist. 8. 1. parte art. 2. qu. 2. Albert. dist. 7. art. 8. in corpore ad 3. Durand. qu. 4. Aggidius qu. 3. art. 1. Ricard. art. 4. q. 1. Scotus d. 8. q. vnicus. In ista questione, ante me diu illius Thom. de Argent. q. 1. art. 2. Bassolis quæst. vnicus. Scotus. Argent. Bassolis. Ferraricus. Quantum ad primam. Ferrar. 3. contra gent. cap. 103. addit Albertus, ea quæ sunt ex putredine terræ, & sponte generantur, fieri non posse ab Angelo, nisi natura ipsa adiuet. Fuit etiam expressa sententia Aug. 3. de Trin. cap. 8. quem citat S. Thom. in Argument. Sed contra, ubi comparat Augustinus Angelos agricolis, qui plantis non tribuunt incrementum, sed solum seminant, aut alia, quæ necessaria sunt, applicat. Neque obstat quod Augustinus ibidem etiam hominem in generatione hominis comparat agricolæ: non enim ideo comparat, quia in omnibus eodem modo se habeat: sed quia semel deciso semine, iam amplius nihil operatur circa genitum, sicut nec agricola circa plantas: sed eatenus dicitur operari quatenus pars ab eo decisa operatur. Deus autem multo excellentiori ratione res omnes producit, quia in omnibus actu operatur. Adde etiam Ambrosium in libr. 1. de fide contra Arianos cap. 8. ubi asserit, ab Angelis, dum assumunt corpora, in quibus apparent, non mutari substantiam.

Thom.
Bonavent.
Albert.
Durand.
Aggidius.
Ricard.
Scotus.
Argent.
Bassolis.
Ferraricus.

2.
Augustinus.

Ambrosius.

Conc. Brach.

stantiam. Est enim veritas hæc definita in Concilio Brach. primo can. 12. quoad plasmationem, & conceptionem hominis: dicitur enim. Si quis plasmationem humani corporis diaboli dicit esse figmentum, & conceptiones in utero matris operibus dicit demonum figurari, propter quod resurrectionem carnis non credit, sicut Manichæus & Priscillianus dixerunt. Anathema sit. Sed in vniuersum can. 8. his verbis videtur definita, Si quis credit quod aliquantas naturas diabolus in mundo fecerit: non ita & fulgur, & tempestates, & sicis arces ipse diabolus auctoritate sua faciat, sicut Priscillianus dixit anathema sit. Ceterum in reddenda ratione huius conclusionis varient Scholastici inter se, vt sequent. c. videbimus.

CAPVT II.

Præcedens sententia ratione confirmatur.

Aristot.
Ratio aliorum.

Sanctus Thomas, Aegidius, Bonau. Ricardus, Thom. de Argent. & Ferrar. ratione quadam desumpta ex Aristot. 7. Metaph. capit. 7. 8. & 9. text. 26. & 27. & 32. communem sententiam sic probant: Id quod proprie producit generationem, non est forma, sed compositum, præsertim vero generatione substantiali: nam & Aristot. de generatione quoque accidentis loquitur: atqui genitum & productum simile est producenti, & generanti ergo generans debet esse compositum ex materia & forma. Hac ratione vsus est Aristot. contra Platonem, vt probaret, non esse ideas à materia separatas, quæ essent causa rerum inferiorum, quæ generantur: sed id, quod generat, debere esse concretum materia, & simile productum, saltem sub genere aliquo, sicut equus est similis mulo, quem gignit. Eadem etiam ratione satis efficaciter videtur probari, Angelum non posse esse causam alicuius formæ in materia, quia ipse ex materia compositus non est.

Impugnatur
à Durand.

Hanc tamen rationem impugnat Durand. hoc modo: vt aliquid agens producat rem aliquam, non opus est, cum passio & cum effectu in omnibus conuenire, sed tantum in forma: nam cælum illuminat hæc inferiora, & non conuenit cum illis in materia: aut quia materiam non habet, vt putauit commentator, quem etiam sequitur Durand. aut quia materia cæli est alterius rationis, quam materia horum inferiorum: nec solum cælum ratione formæ accidentariæ, quam habet, nempe ratione lucis, producit lucem in hæc inferiora: verum etiam cum habeat formam substantialem diuersæ omnino rationis ab his inferioribus, producit in eis varias formas substantiales. Huic tamen rationi Durandi respondere quis posset, cælum assimilari effectibus, quos producit in hæc inferiora, non in specie, nec in genere proximo, sed in remoto, eo quod tam cælum, quam hæc inferiora, constat ex materia, & forma. Et hæc solutio in doctrina Aristot. locum habet, quia reuera putauit, cælum compositum esse ex materia & forma.

Efficacius tamen argumentum contra rationem S. Thomæ, Aegidij, & aliorum fieri potest hoc pacto: Deus est forma per se subsistens sine materia, nec communicat cum his inferioribus in materia, aut in compositione, sed plusquam genere distat ab eis nihilominus omnia hæc inferiora producit: ergo maior illa propositio vera non est. Responderet fortassis Aristoteles nullam substantiam compositam ex materia, à Deo proxime produci: putauit enim res æternas suapte natura æternas esse, atque generari & corrumpi non

posse, vt docuit i. de celo, cap. 10. 11. & 12. artic. cap. 9. concedat, à prima intelligentia creatur habere esse, & viuere: sic igitur fortassis existimant materiam, & formam, à Deo produci. Ceterum cum in vera philosophia ratio ipsa oppositum demonstrat, nempe omnia à Deo solo, aut ab ipso cum causis creatis actu produci, vt 1. 2. qu. 79. art. 1. & 2. satis ostendimus. Argumentum superius factum in sua adhuc vi, & robore manet.

Alia vero ratione prædictam opinionem confirmat Durandus, quæ mea quidem sententia, & prædictam efficaciter probat in hunc modum. Ex formis, quæ sunt in materia, sola est anima rationalis, quæ non educatur de potentia illius, & quæ soli Deo creetur: alie vero omnes formæ tam animarum, quam viuentium, & inanimatarum, sufficienter producantur à secunda causa composita ex materia, vt experimento constat: ita vt si quando contingat, aliquid ex terra sponte generari, illud fiat à Sole, & ab aliis causis materialibus, & afluente Deo ergo Angelus frustra constitueretur causa eorumdem rerum: Deus enim, & natura nihil faciunt frustra. Aliam quoque rationem offert Durandus, quæ talis est: si Angelus produceret aliquam formam substantialem, non produceret eam per suam naturam & substantiam, sed per voluntatis affectum & actum intellectus: nam si per substantiam suam produceret, & in quantum esset, per & necessario produceret, quod tamen constat esse falsum: per voluntatem autem, & intellectum non potest substantiam producere quia voluntas, quæ deberet esse principium formæ, est accidens quoddam; nullum vero accidens potest esse principium formale producti substantiam: ergo Angelus non potest mouere materiam ad formam substantialem.

Postrema denique ratio est, si ob aliquam causam diceremus, Angelo obedire materiam ad formam substantialem, esset quia est nobilior & perfectior natura: hæc autem ratione nostra ratio non posset esse causa, vt solo nutu suæ voluntatis formam substantialem produceret, quod esse falsum manifeste constat: nam anima nostra potest, & ideo est quæcumque forma materialis, hæc autem ratio eodem modo probat de anima nostra coniuncta, sicut etiam de separata, ergo si aliquando contingat opera demones homines, aut animalia, vel aliud simile generari, dicendum est, id non fieri propria demonis virtute effectrice eorum formarum, sed applicatione seminis, vel alterius occultæ causæ, quod per solum motum Angelum efficere potest.

CAPVT III.

Quam formam accidentalem Angelus possit in materia producere.

Opinio fuit Auicennæ, vt refert S. Thomas 2. 2. contra gentes, capit. 103. posse corpoream naturam ab Angelo immutari ad formam accidentariam, præter motum secundum locum, vt ad calorem, & aliam similem qualitatem, non tantum applicando causam agentem passio, verum etiam propria virtute ipsius Angeli proxime operante. Probauit autem eam, quia sicut falsum est virtute sola imaginationis falsificantis, falsificatione autem fit mutatio qualitatum, ita eodem pacto sola cognitio, & voluntas Angelo potest

esse causa alicuius formæ accidentariæ in materia. Communis tamen sententia Scholasticorum est non posse naturam corpoream ad formam aliquam accidentariam, præter motum secundum locum, ab Angelo moueri. Ita docent expresse ex allegatis Doctores S. Thom. artic. 11. 3. Ricard. Argentin. & Ferrar. Bonauen. in art. citato, in solutione 3. Durand. quæst. allegata ad 1. Posse autem ab Angelis corpora secundum locum moueri compertum omnibus est, etiam Scriptura, in qua sæpe dicitur homines ab Angelis, vel à demonibus delatos in varia loca, imò & ipse Christus passus est assumi in pinnaculum templi. Quare vero Angeli nequeant mouere materiam ad formam aliquam accidentariam, præter motum secundum locum, non video à Doctotibus allegatis probari: forsitan eandem esse putant rationem, ob quam non possit mouere Angelus ad formam substantialem, atque ad formam accidentariam, de qua satis superque cap. præced. dictum est. Ego vero existimo eam esse rationem vniuersalem: quia si aliqua de causa posset Angelus mouere ad formam accidentariam, maxime esset, quia multo excellentior illa est: nullam enim aliam rationem, aut causam habemus, ut id asseramus: atqui eadem ratione dicere deberemus, posse ab anima rationali corpus quodlibet moueri ad quamlibet formam accidentariam, quod tamen experimento constat esse falsum: ergo illa sola ratione non debemus id Angelis tribuere.

Hinc sequitur primum, non posse ab Angelo produci lucem, neque speciem aliquam sensibilem, nisi applicatione luminosi corporis aut obiecti sensibilis: similiter producere nequit Angelus formam, nisi medio motu verberationis in aëre; quæ est propria causa illius. Ceterum præter hæc accidentia sunt alie formæ accidentariæ, quæ sunt dispositiones formarum substantialium, aut ipsas formas substantiales consequuntur: & hæc accidentia eadem omnino ratione ab Angelo nequeunt produci, quæ etiam ipsæ formæ substantiales fieri noti possunt.

Deinde colligitur, non solum posse ab Angelo imprimi motum secundum locum, verum etiam impetum, qui est qualitas quedam, quæ sit motus, aut impeditur: hoc autem mihi suadeo non ex motu qui fit ab Angelo, hic enim sine impetu aliquo prius impresso posset à nobis facile intelligi, sed eo quod detinet corpus graue, ne moueatur, nam & lapidem suspensum in medio aëre potest detinere, & corpus graue non solum terræ innixum mouere, sicut globum super terram, sed etiam eleuatum, quo genere motus necesse est lapidem mouere versus vnam partem, & sustinere ne descendat, sicut cum Angelus deducebat Abacuc, esse autem necessarium impetum impressum sine motu, ut lapis, vel corpus graue detineatur in medio aëre: hæc efficaci ratione monstrari potest. Nam quamuis Deus solo nutu suæ voluntatis possit detinere lapidem, subtrahens solum suum concursus, qui est necessarius ad motum, tamen Angelus hoc modo corpus detinere nequit, quia concursus Angeli ut corpus moueatur necessarius non est, ac proinde etiam si Angelus non velit concurrere, non propterea motus lapidis impeditur. Superest igitur, ut solum detinere possit imprimendo aliquid aliud contrarium motui, quo motus impediatur. Quare falsa est eorum senten-

tia, qui asserunt, posse corpus ab Angelo in medio aëre detineri, nulla corpori facta impressione: neque enim Angelus detinere potest cōkursu suo denegato, ut probauimus: neque apprehendens illum manu ut manifestum est: quomodo igitur suspensum in aëre, nulli innixum, & à nullo corpore pendens detinebit.

Postremo de potentia & facultate motrice Angelis contra Caiet. supra q. 54. art. 3. obseruandum est, falsam esse ipsius sententiam, cum asserit, hæc facultatem motricem, esse quid distinctum ab intellectu, & voluntate: ita ut in Angelis sit facultas exequens, eo modo, quo in nobis est distincta ab intellectu, & voluntate: potius enim existimare debemus hanc facultatem nihil aliud esse, quam intellectum, & voluntatem in actu: quia Angelus intelligendo, & volendo mouet, nec vlllo alio indiget ad effectum. Idem de omnipotentia Dei dixi supra disp. 10. 1. cap. 3. videlicet nihil aliud in Deo esse, etiam secundum rationem, quam intellectum, & voluntatem in actu. In qua sententia nobiscum conuenit Caietanus: cum tamen ut suis principiis conueniēter loqueretur, eo modo, quo in Angelis, hanc potentiam ab intellectu, & voluntate iactem secundum rationem, in Deo etiam distinguere deberet. Authores vero, qui illam nostram sententiam de potentia Dei docuerunt, in eo capite commemorauimus.

CAPVT IV.

Quid possit Angelus, aut demon in nostram imaginationem.

Um mirabiles experiamur effectus in homine, commotione imaginationis à demone fieri: reliquum est, ut de virtute, quam habet demon supra illam, aliquid dicamus: in qua re fuit sententia Alexandr. 2. parte, quæstione 40. membro 4. qui docuit, non tantum posse commoueri spiritus animales in homine virtute demonis, aut Angeli, ratione cuius motus commouentur phantasmata: sed etiam posse ipsa phantasmata ab Angelo produci, & imaginationi nostræ infundi, non aliter, quam ab ipsis rebus sensibilibus: hanc vero opinionem nullæ ratione ipse confirmat.

Vertor tamen sententia est aliorum, qui docent, non posse ab Angelo imaginationem nostram aliter immutari, quam per commotionem spirituum animalium: ita affirmant S. Thomas infra q. 111. art. 3. Caiet. & Thomistæ ibid. Bonauen. in 2. d. 8. 1. par. art. 1. q. 3. Thom. de Argentin. qu. 1. art. 3. Durand. q. 4. Ricard. in 2. d. 10. art. 2. q. 2. Argidius quodlib. 6. qu. 16. non posse autem ab Angelo in nobis phantasmata produci, eadem ratione probari debet, qua superius ostendimus non posse ab Angelo produci formam aliquam accidentariam in materia: sola autem commotione spirituum animalium posse in nobis excitari imaginationem, docet expresse Aristot. libr. de in somnis, cap. 3. ante medium: inquit enim, descendente multo sanguine ad principium sensitiuum, simul excitari motiones sensibiles: appellat autem principium sensitiuum sensum communem, quem putauit esse eandem facultatem secundum rem cum imaginatione, ut multis rationibus philosophicis de anima quondam ego probaui. In feblicitatibus quoque fieri plures apparitiones ex commotione spirituum, paulo ante idem Arist. docuerat. Cum igitur demones vel applicando causas agentes, quarum naturam probe norunt, vel motu se-

condem

cundum locum excitare valeant in nobis spiritus animales, efficere quoque possunt varias rerum appariciones, & cogitationes: quare, vt recte admonet Bonauen. demones non possunt in nobis excitare cogitationes, etiam hoc modo, nisi earum rerum, quarum habemus similitudines, ita tamen, vt ex illis varia componamus: ergo cæcus qui nunquam vidit colores, & lucem, nunquam excitari poterit, vt de luce, & de colore cogitet. An vero species ipsæ, & phantasmata sint, vt subiecto, in spiritibus, qui excitantur, vel in alia parte organi, ex qua moueri non possunt, certum non est. Experimento vero compertum habeo, hac sola commotione spirituum & sanguinis varias in nobis excitari cogitationes, vt dixit Aristoteles.

Ceterum circa hanc phantasmatum commotionem varia etiam docent auctores. Primo quidem Ricardus loco citato inquit, per huiusmodi motum spirituum fieri etiam, vt interdum res inter se parum distantes, appareant maxime distantes, quia distantia ipsa phantasmatum, quam efficit in nobis commotio spirituum, facit etiam apparere res, quas representant distantes: hanc tamen sententiam impugnat Scotus in 2. d. 11. quæst. vnica, §. De secundo, quia motus spirituum non facit moueri phantasmata: id quod probabile videtur, si phantasma non est in ipsis spiritibus: sic enim non sequitur, phantasma moueri motis spiritibus. Verum cum necessario dicendum sit phantasmata in cerebro ipso esse, cuius substantia fluida est, & spiritibus motis facile moueri potest, etiam si semel asseramus non esse in ipsis spiritibus, efficitur quoque, vt phantasmata simul cum substantia cerebri moueantur. Facilius tamen refelli potest sententia Ricardi: quia distantia, quam species & phantasmata in se habent, non representat distantiam rerum: ex eo igitur non apparent res distantes, quia phantasmata distent: sed cum distantia nihil aliud sit, quam spatium aliquod corporis interiecti, sequitur, tunc res cum distantia maiori apparere, quando phantasma aliud simul mouet representans corpus aliquod interiectum.

Veritas aliorum opinionum explicatur.
14.

Secundo putat Egidius, phantasmata ab Angelo taliter commota excellentiori modo operari in intellectum, quam antea, id quod nescio qua ratione probari possit.

Tercio docet Thomas de Argentina posse moueri intellectum nostrum ab Angelo mota imaginatione, ita vt solum id faciat excitando species quasi sopitas, & ipsas inter se ordinando. Verum cum Angelus solum possit mouere substantiam, & humores corporis secundum locum: ego non video, quomodo possit excitare species, vel ipsas ordinare alio modo, quam motu substantiæ cerebri, in qua species resident.

Bonauentura.

Quarto asserit Bonau. in 2. d. 8. 2. p. art. 1. quæst. 4. ad vltim. probabilius sibi videri, non posse hominem induci ab Angelo malo, vt cogitet de re mala, mota illius imaginatione, nisi homo otiosus sit. Quia de causa multi, quos referemus 1. 2. quæst. 74. art. 6. & 7. existimant, primos motus appetitus prouenientes ex sola cogitatione absque vlla corporea perturbatione, esse peccata venialia. Omnia tamen hac opinione de peccatis, de qua eo loco distulerimus, ego non video, quare non possit a demone imaginatio hominis ita moueri, vt, velit, noluit, cogitatio insurgat in imaginatione, relicta

ARTIC. I.

priori, qua homo erat occupatus: quia potest esse vehementior motus ille insurgens, quam prior.

Porro querit Scotus loco citato, vtrum Angelus possit transferre phantasmata vnius hominis in alterum, translatio etiam spiritu & humore, in quo residet phantasma, an non: disputans autem pro vtraque parte, inquit, neutram probet, aut ostendi posse. Ego vero existimo non posse moueri, quia phantasma est in organo: organum autem secundum quamlibet sui partem videtur, ac proinde ex vno in aliud viuens moueri non potest, tamen in eodem homine aliquammodo possit agitari.

QVÆSTIO LVIII.

De modo cognitionis Angelorum.

Post hæc considerandum est de modo Angelicæ cognitionis.

Et circa hoc queruntur septem.

ARTICVLVS I.

Vtrum intellectus Angeli quandoque sit in potentia, quandoque in actu.

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod intellectus Angeli quandoque sit in potentia. Motus enim est actus existens in potentia, vt dicitur 3. Physicorum. Sed mentes Angelicæ intelligendo mouentur, vt dicit Dionysius 4. capite de diuinis nominibus. Ergo mentes Angelicæ quandoque sunt in potentia.

2. Præterea. Cum desiderium sit rei non habitæ, possibilis tamen habet: quicumque desiderat aliquid intelligere, est in potentia ad illud. Sed 1. Petri 1. dicitur: In quem desiderant Angeli prospicere. Ergo intellectus Angeli quandoque est in potentia.

3. Præterea. In libro de causis dicitur, quod intelligentia intelligit secundum modum suæ substantiæ. Sed substantia Angeli habet aliquid de potentia permixtum: ergo quandoque intelligit in potentia.

Sed contra est quod Augustinus dicit 2. super Genes. ad lit. quod Angeli ex quo creati sunt in ipsa verbi æternitate sancta, & pia contemplatione perfruuntur. Sed intellectus contemplans non est in potentia, sed in actu. Ergo intellectus Angeli non est in potentia.

Respondeo dicendum, quod sicut Philosophus dicit in 3. de Anima, & in 8. Physic. intellectus dupliciter est in potentia. Vno modo sicut ante adducere, vel inuenire, id est antequam habeat habitum scientiæ. Alio modo dicitur esse in potentia, sicut cum iam habet habitum scientiæ, sed non considerat. Primo igitur

mo igitur modo intellectus Angeli nunquam est in potentia respectu eorum, ad quæ eius cognitio naturalis se extendere potest. Sicut enim corpora superiora, scilicet cælestia non habent potentiam ad esse quæ non sit completa per actum, ita cælestes intellectus, scilicet Angeli non habent aliquam intelligibilem potestiam, quæ non sit totaliter completa per species intelligibiles connaturales eis. Sed quantum ad ea, quæ eis diuinitus reuelantur, prohibet intellectus eorum esse in potentia: quia sic etiam corpora cælestia sunt in potentia quandoque vt illuminentur à Sole. Secundo vero modo intellectus Angeli potest esse in potentia ad ea, quæ cognoscit naturali cognitione. Non enim omnia, quæ naturali cognitione cognoscit semper actu considerare: sed ad cognitionem verbi, & eorum quæ in verbo videt, nunquam hoc modo est in potentia, quia semper actu intuetur verbum, & ea quæ in verbo videt. In hac enim visione eorum beatitudo consistit. Beatitudo autem non consistit in habitu, sed in actu, vt dicit Philosophus in 1. Ethic. cap. 8.

Ad primum ergo dicendum, quod motus ibi non sumitur secundum quod est actus imperfecti, id est existentis in potentia; sed secundum quod est actus perfecti, id est existentis in actu. Sic enim intelligere & sentire dicuntur motus, vt dicitur in 3. de anima.

Ad secundum dicendum, quod desiderium illud Angelorum non excludit rem desideratam, sed eius fastidium. Vel dicuntur desiderare Dei visionem quantum ad nos reuelationes, quas pro oportunitate negotiorum à Deo recipiunt.

Ad tertium dicendum, quod in substantia Angeli non est aliqua potentia denudata ab actu. Et similiter nec intellectus Angeli sic est in potentia quod sit absque actu.

Notationes circa Articulum.

Prima conclusio est: Si loquamur de actu primo ad intelligendum respectu eorum, quæ Angelus cognoscere potest, semper est in actu, & nunquam in potentia: respectus tamen eorum, quæ diuinitus reuelantur, intellectus Angeli est aliquando in potentia. Secunda conclusio: Si loquamur de actu secundo, qui est intellectio, aliquando est intellectus in potentia, etiam respectu eorum, quæ potest naturaliter cognoscere: quia non omnia, quæ naturaliter nouit, semper actu considerat. Tertia conclusio: Respectu Dei, & eorum, quæ in verbo videntur, semper est in actu visionis clare. Circa tertiam conclusionem notandum est, cum inquit S. Doctor, ea quæ videntur in verbo semper actu videri à beato Angelo, intelligere non ab initio suæ beatitudinis, iuxta ea, quæ ipse docuerat quæst. 57. artic. 5. sed post.

Vasquez in 1. p. tom. 2.

quam reuelata in tempore fuerat. Eodem modo intelligendum est, quod ait artic. sequenti, hæc omnia simul videri, de quo satis à nobis dictum est supra disputar. 54.

DISPUT. CCXIX.

Quomodo intellectus Angeli sit in potentia, & in actu.

De actu primo Angeli ad intelligendum supernaturalis.

cap. 1.

De habitibus naturalibus, quibus intellectus Angeli est in actu primo. cap. 2.

De actu secundo intellectus Angeli, qui est intelligere. ca. 3.

CAPVT I.

De actu primo Angeli ad intelligendum supernaturalis.

Sanctus Thomas in articulo ita videtur locutus de actu primo Angeli ad intelligendum supernaturaliter, vt non intellexerit de habitibus supernaturalibus: & ita dixit, respectu eorum, quæ Angelus reuelatione solum diuina cognoscit, intellectum Angeli non esse semper in actu primo. Præterea per actum primum ad hæc mysteria cognoscenda non intelligit species aliquas infusas supernaturales: quia Angelus in via mysteria supernaturalia per species rerum naturalium cognoscit: ergo per actum primum intelligit etiam reuelationem: nam intellectus indiget tanquam principio, non solum speciebus, sed etiam diuina reuelatione, vt cognoscat mysteria supernaturalia. Ceterum cum præter species requiratur etiam habitus infusus supernaturalis; tamen nullam de illo mentionem fecit S. Thom. Nonnulli Thomistæ existimant probabile, habitum infusum ad credendum in Angelis non fuisse distinctum ab speciebus intelligibilibus, aut saltem nihil referre hoc, aut alio modo de habitu infuso in Angelis theologizare. Mea tamen sententia, eodem modo in Angelis, sicut in hominibus dicendum est, fuisse habitum infusum fidei in via ad credendum mysteria supernaturalia, siue habitus ille infundatur ad efficiendam substantiam actus credendi, siue ad modum aliquem in actu, de quo suo loco dicemus. Neque oppositum docuit Caietanus vt falso à nonnullis refertur. Imo vero ipse Caietan. quæst. 50. art. 6. ita interpretatur Doctorem sanctum in eo articulo, cum ait, in Angelis esse habitus: vt intelligatur tam de naturalibus, quam de supernaturalibus, & infusis: quia in via habuerunt habitum fidei, in patria vero habitum luminis: quare de aliis etiam habitibus infusis in voluntate eodem modo dicendum est. Et ratio est eadem: si enim in homine requiritur talis habitus, vt ipse producat substantiam, vel modum actus per naturalem formam intrinsecam, sibi que inherentem, cuius virtute connaturaliter operaretur, & non solum per auxilium Dei assistentis & cooperantis, eadem ratione in Angelis huiusmodi habitus constituendus est: quia eodem modo eius potentia cum actu supernaturali, vel cum modo illius comparatur.

CAPVT II.

De habitibus naturalibus, quibus intellectus Angeli est in actu primo.

De habitibus etiam naturalibus quibus intellectus Angeli constituitur in actu primo non eodem

Quid intelligat S. Thom. per actum primum ad cognoscenda mysteria.

Caietanus.